

Memoriae Joa. Bapt. de SPIX.

Postremum opus itinerum nostrorum socii cum publico communicaturi dupli-
nos officio satisfacturos opinati summus, tam erga pie defunctum, quam erga relictos
ejus amicos, quibus ejus labores litterarii cordi fuerunt, si quaedam de illius vitae
historia praemitteremus, iconemque, vultum illius non inique referentem, adjice-
remus.

JOANNES BAPTISTA DE SPIX natus est 9. Febr: 1781, Höchstadii, ad Aischam
fluvium, principatus olim Bambergensis urbecula, patre chirurgo solerti, nec
ignobili, qui tamen mature praemortuus filiolum soli matri educandum reli-
quit, foeminae industriae, quae natione itala omnes patriae suae igniculos in filium
suum transfudisse videbatur. Primis litterarum rudimentis puer Bambergae in
seminario Aufseesiano instructus est, ubi etiam scholas Gymnasii frequentavit, ex
quo demum ad Universitatem, quae tum temporis adhuc Bambergae florebat,
transiit; in qua Doctoris Philosophiae gradum obtinuit. Discessit postea Heripolin in
seminario Clericorum praceptoribus bonis Theologiae datus operam, quod piae
matris votis dedit; et quum hujus doctrinae propedeutica tractabat, philosophica phi-
lologicaque magnis animis aggressus, interna tamen quadam vi vehementer his, qui-
bus destinatus erat, studiis eripiebatur. Harmoniam per universam naturam diffusam
demiratus violentis quibusdam stimulis ad universam historiam naturae rapiebatur,
ad Anatomiae praecipue Physiologiaeque studia, quae princeps creatoris opus in
corporea natura, hominem, homini patefaciunt. Ita factum est, ut, relicta Theo-
logia, nunc totus in Medicinam incumberet, in qua etiam anno 1807 supremam
lauream adeptus est; obtinuit etiam a Rege Bavariae MAXIMILIANO JOSEPHO non solum
licentiam, quo sibi ampliores in anatomia cognitiones compararet, exteris petendi ter-
ras, sed etiam sumtus necessarios. Gavisus Parisiis est consortio virorum illustrium
Cuvieri, Geoffroi S. Hilaire, Blainvilli, aliorumque, et usus praeterea, quae Parisiis
et copiosa sunt et longe instructissima, Museis, in id praecipue animum intendit,
ut formas animalium diversissimas in sistema quoddam referret, earumque evolu-
tionem quasi geneticam ope systematis cerebralis nervinique scrutaretur. Huc om-
nem suum conatum, omnia sua studia conferebat, et ut erat vi magna imaginandi
praeditus, gradus organismi animalium praecipue secundum formas capitis sceletique
rimari conatus est. Quem in finem etiam oram Normandiae maritimam, ac Italiam
omnem usque Neapolin peragravit, tam ut maritimorum animalium sibi notitiam
uberiorem compararet, quam ut et animum suum artis humanae sublimissimis
operibus pasceret. Quas noctes ad pedem Vesuvii et inter veteris Romae reli-
quias consumebat, Dantei praecipue lectione condiebat, poëtae sublimis, qui animum
illius profundis de omni rerum natura ideis implevit.

Monachium ex hoc itinere redux amicus noster Academiae scientiarum adjunc-
tus renuntiatus est, quo quum fungeretur munere, scripsit historiam omnium sy-

stematum zoologicorum inde ab Aristotele ad nostra usque tempora; tardius, ordinarius Academiae socius constitutus, opere alio, quod Cephalogenesin vocavit, suas ideas de structura capitis per omne genus animalium explicuit. Erunt fortasse, qui dicant, in hoc opere nonnunquam phantasiam et peculiarem quandam idearum associationem sobrio veritatis vim inferre scrutinio, certum tamen est, copiosas non contemnendi pretii eo contineri observationes, et futurum fuisse, ut, si auctori otium suppetiisset, in cerebri genesin ulterius inquirendi, atque alteram ejus partem, Encephalogenesin, scribendi, multa correxisset. Negari certe nequit, in modo, quo noster naturam considerabat, singulare quiddam conatumque egregium cubasse, observationibus ex phantasia et splendorem et nobiliorem unitatem addendi.

Hujus certo operis, quo vitae quasi summam impendere voluit, perficiendi finem sibi proposuit, quum anno 1817 iter in Brasiliam Regis MAXIMILIANI JOSEPHI auspiciis mecum ingrederetur. Verum hic alias longe sese campus observatori obtulit: non jam anatomicis disquisitionibus nunc erat locus; varietas ingens formarum animalium, quibus abundat Brasilia, uno quasi obtutu consideranda, ac ad systematis ductum describenda nunc erat. Id quidem post redditum ex Brasilia in illis operibus factum est, quorum seriem praesens terminat, de quorum autem pretio judicare meum non est. Verum inter hos labores, quos forte, corpore jam exhausto et nimis irritabili, SPIXIU斯 nimia contentione continuabat, litteris, quibus valetudinem vitamque posthabuit, typho nervoso ereptus est 15. Maji 1826, me tunc in Anglia a charo capite divulso, ac impotente, postrema illi obsequia praestandi, quare mihi nihil jam reliquum est, quam ut his paucis memoriam ejus conservem, illis praesertim, qui ex ejus conaminibus intelligunt, eum non sine fructu pro societate humana, et pro gloria supremae sapientiae laborasse.